

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Historia Marchionum Badensium & Hachbergensium - Cod. Karlsruhe 3293 II 10

Gamans, Johannes

St. Peter auf dem Schwarzwald, 1758

Cap. XXII.

[urn:nbn:de:bsz:31-267058](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-267058)

prosecutus, ab illa demum rediens, non Lausanna, 143.
sed in villa sua Herdra, antequam ad sedem suam
recessisset, morte interceptus est, an. Domin.
Incarnat. 1190. sepultusq; ad S. Petri in Hercinia
seorsim in sinistra parte sepulchri paterni. In Ne-
crologio dies designatur: an. 1190. Non. Aug. Depo-
situs p. m. Rudolphi Episc. Leodiensis, fratris Berthol-
di IV.

Subiungunt Annales S. Bebrini: Tertius exhibit
frater ejus Adelbertus, qui secedens castrum Tegg
cum omnibus appendiciis sibi vindicavit.

Hugo quartus frater eorum pradia non parva
et beneficia in Brisgavia nobis contulit.

Clementiam horum sororem Henrico Leoni Bava-
riae Duci, ast propter consanguinitatem: avun-
culus enim erat: separatam an. 1162. tradit
Piespordicus.

Cap. XXII.

De Hermanno III. Marchione Badensi
et Veronensi

De hoc Hermanno tradit Listorius a Friderico
Casare magno avunculo suo Verona donatum et
Marchionis Veronensis titulum ei adjectum.

Dubitari non potest, bellis Longobardicis affuisse
Caesari Hermannum et fidelem operam navasse,
quando Mediolanensium contumaciam fregit an.
1162. et plerasq; Longobardia urbes in potestatem
redegit.

Anno 1165. bello in Suevia exorto immissus est, de quo Henricus Mutius in Chronico Germania: Evecta in altum erat hoc tempore in Suevia familia quaedam Guelfonum, quo referebat genus suum ad Trojanos: juxta ea, qua de Agilolfingiis supra memoravimus cap. II. / Horum quidam Tubingam obsedit anno post Nativit. An. 1165. conjunctis sociis Episcopis Augustano, Spirensi, et Wormatiensi, Bertholdo Duce de Zeringen, Marchione de Hockburgo, Hermanno de Baden Marchione, et ceteris aliis, qui fugati sunt omnes ab Oppidanis et Hugone Palatino, multi capti, plurimi occisi. Fuit memorabile et sanguinolentum praelium. Guillimannus causam belli narrat, quia nimirum Hugo ejus nominis III. Palatinus Tubingensis quosdam nobiles strangu-laverat, arcemque eorum Meringam exciderat. Ob hoc a Welfone Seniore Bavaro filium Welfonem junio-rem cum exercitu missum, ut facinus illud ulcisceretur. Praeter auxiliares a Mutio nomina- tos addit hic Rudolphum comitem Spuelloduri, Albertum Com. Habspurgi, duos fratres comites a Calve, duos de Berge, item Hartmannum Com. Hixelbur-giensem, Henricum comitem Zeringensem, cum plerisque Germaniae superioris Nobilitate, pro Hu-gone autem seipso Fridericum Suevia Ducem, Comites Zollernos multosque alios. Fridericus Imp. postea se interposuit, pacemque inter partes firmavit.

Anno 1189. Belli sacri Clasicum rursus insonuit, 1185.
cui inter alios Principes auctoratus Hermannus
Marchio. Inter testes antiquiores Henricus Mutius,
Fridericus, inquit, Imperator cum filio Friderico Epō
quibusdam, Hermanno Marchione Bradensi et aliis mul-
tis fortibus et piis viris in Palaestinam proficiscitur.

Taqerio Decanus Pataviensis, qui huic expeditioni
interfuit, eamq; per Ephemerides sive Diarium ac-
curate descripsit, ista habet: Fridericus Imp. Ratis-
bonam intravit; Ibi cum 27. Ep̄is, et omnib; Prin-
cipibus maximis Concilium celebravit; Totam qua-
dragesimam et Pascha ibi mansit. Post Pascha dies
peractos 1. quod evenerat V. Id. Aprilis ex Ratisbona
movit navali itinere Pataviam MCLXXX. De-
scendit cum eo ejus F. Fridericus Dux Alemānis, Ber-
tholdus Dux Meranis ex Bavaria de Castro Andechs
natus, Hermannus Marchio Bradensis, Ep̄i Herbipo-
lensis, Monasteriensis, Diepoldus Pataviensis, Ope-
burgensis, Miseneris, cum multis regni comitibus,
cum magna multitudine populi per Ungariam et
Graciam iter suum direxerunt &c.

Multo hoc et sequente anno insignes victoriae
a barbaris reportatae, plurima in Asia urbes for-
titer expugnatae, in Ciliciam usq; perventum,
ubi gloria cursum una infelix hora sufflaminavit,
quando VI. Idus Junij Cydnus fluvius Fridericum

146. Imp. improvide subeuntem sive refrigerandi Cor-
poris gratia: quod de viro septuagenario vix est
credibile: seu ardore persequendi hostes, quod proba-
bilis, undis involvit et absorbit. heu! quanto
orbis christiani luctu! Fridericus filius exerci-
tum interitu Imperatoris maestum et anxium pita
Guillimannus: simul loquiquitate itineris desepit
et languidum Antiochiam duxit. Ibi Hermannus
Marchio Badensis valetudine extabuit. Super-
suere filij Hermannus, Fridericus et Henricus. Uxor
non nominatur, nisi M.S. ubi dicitur fuisse Ber-
tha Palatina Tubingensis et filios genuisse Her-
mannum ac Rudolphum, filiam Agnetem Duci
Lotharingis nuptam. Horum sit fides penes au-
thorem. De morte Hermannii III. sic Listorius:
Miles strenuus in expeditione Syriaca, ob. an.
1190. Henninges: miles praclarus in Syriam
profectus, magister militie factus est. ob. an.
1190. Albigius Hermannus III. Marchio Ba-
densis, qui cum Friderico I. Imp. in Syria moritur
an. 1190.

Cap. XXIII.

De Bertholdo V. et ultimo Zeringia Duce.

Piezordius: Bertholdus V. cogn. dives, Dux Ze-
ringia